

LITTERAE APOSTOLICAE

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII PAPAE NONI

VENERABILI FRATRI

DOMINICO EPISCOPO LEUCENSI

COMMISSARIO SANCTAE DOMUS LAURETANAE



*Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.*

**P**otissima devoti animi Nostri vel a teneris annis pietas in Sanctissimam Virginem Dei Genitricem, omniumque nostrum amantissimam Matrem Mariam, cujus praesentem tutelam in angustis ac trepidis quibusque praesertim rebus semper experti sumus, vehementer Nos impellit, ut hujus Nostrae devotionis studium eidem Beatissimae Virgini aliqua significatione palam publiceque testemur. Hujusmodi vero testimonium in ista religiosissima atque augustissima Aede inaudito prodigio per ingentes terrae, marisque tractus a Galilaea in Italiam transmissa, atque insigni miserantis Dei beneficio in Pontificia Nostra ditione istic pluribus abhinc saeculis sita, ac tot miraculis nobilitata, tot populorum frequentia et

concurso celebrata extare optavimus, ad quam quicumque cum fide accedunt, non tam Virginis Aedem, quam ipsam Virginem sibi merito adire videntur. Ibi enim, veluti gravissima monumenta testantur, Beatissima Virgo ab Angelo salutata, Sancti Spiritus operante virtute, Dei Mater absque ullo integerrimae Virginitatis detrimento effecta, ibique Verbum Dei Deus, Filius Dei, qui in principio erat apud Deum, per quem facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil, Dominus Noster peccati mortisque destructor, propter nimiam, qua universum humanum genus dilexit caritatem, a coelesti sede descendens, atque a paterna gloria non recedens, ad homines Deo reconciliandos factus est homo. Itaque ad Te, Venerabilis Frater, qui istius Sanctae Domus Commissarii munere fungeris, mittimus cum Nostris hisce Litteris Dilectum Filium Josephum Praesulem Stella familiarem nostrum, virum tum pietate religione virtute integritate, tum egregiis animi ingeniique dotibus Nobis vel maxime probatum, a quo accipies Crucem Nostram episcopalem ad usum pectoris ex gemmis confectam, eidem Sanctissimae Virgini offerendam, atque dicendam. Quamobrem, Venerabilis Frater, postquam eam Crucem acceperis, ac Nostrum consilium Venerabili Fratri Francisco Episcopo Recinetensi et Lauretano, ac Dilectis Filiis Capitulo et Canonicis ejusdem Cathedralis Templi Lauretani significaveris, tuum erit eandem Crucem in ipso Templo Deiparae Virgini nomine Nostro humillime offerre ac devovere. Illud autem in primis summopere optamus, ut omnes numquam desinant intimo cordis affectu Ipsam Clementissimam Virginem, quae tota suavis est et plena gratiarum, suppliciter exorare, ut potentissimo suo apud Filium Christum Jesum patrocinio Catholicam Ecclesiam, tot inter tristissimas rerum ac temporum vicissitudines, tueatur defendat fortunet, ac volens propitia Nos nunc licet indignos atque infirmos in hac Principis Apostolorum Cathedra collocatos benigno semper vultu de Coelo respiciat, ac singulari suo praesidio adjuvet foveat protegat, et omnibus suae misericordiae sinum aperiat, quo *de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemptionem, aeger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam.* (S. Bernard. Serm. 4 in Assumpt. B. M. V.) Denique, Venerabilis Frater, coelestium omnium

munerum auspiciem, et praecipuae Nostrae in Te benevolentiae testem  
Apostolicam Benedictionem Tibi ipsi peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem die 22 Augusti Anno 1846.

Pontificatus Nostri Anno Primo

## PIUS PP. IX.



\* *Quod sequitur, exemplar est Schedulae autographae  
a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO datae ad Rmum Praesulem Josephum Stella.*

Monsig. Stella. Intendiamo che i due Anelli, che sono nell' Astuccio, ove è custodita la Croce preziosa, che mandiamo in dono a Loreto, formino parte del dono stesso. Le diamo col solito affetto l' Apostolica Benedizione.

Roma 31 Agosto 1846.

PIUS PP. IX.